

Neminem facile extitisse, credo, qui indignius unquam
adversarios tractarit. Nebulones appellavit subinde, ut
alia atrociora taceam, quorum plena sunt eius *Epigram-*
mata, Amoenitates Iuris et Menagiana. In carmine ad *Mne-*
mofynen:

*Da, Dea, inquit, da nobis, atrocia tot nebulonum,
Immeritum qui me pergunt vexare libellis,
Dicta oblivisei, memori mihi condita mente.*

A Mamurra, Professore Graecarum literarum, aliquando
offensus, non solum ipse scripto se vindicavit aculeatissi-
mo, sed, ut omnem contra illum eruditorum exercitum
educeret, classicum cecinit egregius buccinator; ausus,
iis etiam multam dictare, qui non venirent.

*Qui non scripserit, inter eruditos
Insuffissimus ambulet patronos.*

Et licet in literis, *Amoenitatibus Iuris* praemissis, sic polli-
ceatur: *Adversariorum ingratum animum, invidias, iniurias,*
maledicta, dicteria, scommata, immotus, ut philosophum et Chri-
stianum decet, sinam praeterfluere; id tamen adeo non praes-
titit; ut in fine adhuc eiusdem epistolae indignissime
tractaret hominem, qui in libro contra ipsum scripto
eum *Advocatum et Magistrum Aegidium* appellarat.

XV. Atrocia haec sunt, fateor; sed si cum illis com-
parentur, quae inter Pufendorffium et adversarios eius in-
tercesserunt, levia videbuntur. Sic enim summus ille
Iuris naturae doctor, et hi, qui contra ipsum scripserunt,
in se invicem debacchati sunt, ut omnem convitiandi,
obiurgandi, maledicendi materiam exhausisse videantur.
Omnia sibi scelera, quae excogitari poterant, beneficia,
adulteria, latrocinia, insidias vitae structas obiecerunt.
Moechos se, carnatos diabulos, sicarios, Asinios Tenebriones, etc.
vocarunt. Nec ingeniosa omnia erant. Ex trivio et gy-
necaeo abiectissima, loquendi formulas petierunt, qui-
bus suam uxorumque suarum famam invicem laceſſerent.